



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Mania Saracenorum regina, & Mosis monachi ordinatione. Capvt XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

CAPVT XXI.

PER idem tempus Ismaelitæ agros imperio Romano finitimos populati sunt : quorum dux fuit Mania, quæ non complexa mente eam, quam habuit naturam, animos viriles sibi sumpsit . Eademque post multa commissa prælia, primum fœdus cum Romanis ferit : deinde luce diuinæ cognitionis accepta, postulat episcopum genti suæ designari, Mosen quendam, qui in finibus Aegypti & Palæstinæ habitabat . Cuius postulationi assensus Valens, diuinum illum hominem Mosen Alexandriam adduci iubet, ibique gratia episcopali donari . Vbi verò adductus est, viditque Lucium sibi manū imponere velle, abfit, inquit, vt tua manus me consecret. Nam tua inuocatione spiritus sancti gratia in neminem descendit . Cui Lucius, vndè inquit, ista coniiicis ? Non coniiicio, inquit, sed certò equidem scio . Etenim pugnas cōtra doctrinam apostolicam, & contrariam ipse doces : atque cum verbis blasphemix, impiè facta coniungis . Quis namque impius non tua causâ conuentus ecclesiasticos petulanter infectatus est ? Quis è laudatorum virorum numero non per te exulauit ? Quam immanitatem barbaram maleficia abs te in dies singulos admissa non longè superarunt ? Quæ cum animo valdè fidenti dixisset, Lucius eius verbis attentè auditis, eum interficere magnopere cupiebat ille quidem, sed tamen metuebat, ne bellum extinctum de integro accenderet . Quamobrem ad alios episcopos, quos ille ipse postulauerat, deduci iussit . Postremo Moses, vbi cum fide admirabili gratiam episcopalem receperat, ad illos, qui eum requirebant, profectus est, & partim doctrina apostolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit . Atque Alexandriæ quidem eiusmodi scelera à Lucio admissa, & diuina prouidentia mirè compressa cognouimus .

*De rebus truculenter Constantino-
poli gestis. CAP. XXII.*

NN 3 *Constan-*